

Adnotatio Herenniana

Rheticam illam incerti auctoris saec. a. Chr. I in linguam Suecanam vertens, quae cum aliter tum "Ad Herennium" solet inscribi, in locos incidi aliquot, qui, cum aut difficile aut prorsus non intellegi posse videantur, digni utique sunt, quos alii quoque inspiciant. Hoc autem tempore unus solummodo ex iis locis commilitonibus Petropolitanis doctissimis ponderandus traditur, II 28,45: *Item vitiosum est in comparandis rebus alteram rem efferre, de re altera mentionem non facere aut neglegentius disputare: ut si cum conparetur, utrum satius sit populum frumentum accipere an non accipere, quae commoda sint in altera re vera, curet, enumeret; quae in altera incommoda sint et quae velit depressa, praetereat aut ea, quae minima sint, dicat.* Ita Fridericus Marx in sua editione (a. 1923, *Bibliotheca Teubneriana*), cuius ed. stereotypam correctiorem (cum addendis) iuris publici fecit Winfridus Trillitzsch a. 1964. Hodie autem satis constat Marxium, virum doctissimum quidem et de arte rhetorica Romana investiganda peroptime meritum (Fridericum dico), nihilominus in codicibus iudicandis non mediocriter errasse. Quod Antonio Hafner (Helvetio) debemus, utpote qui in libro, qui *Untersuchungen zur Ueberlieferungsgeschichte der Rhetorik ad Herennium* (Europäische Hochschulschriften, Reihe XV, Vol. 45, 1989) inscribitur, his de rebus magna cum diligentia disseruerit. Neque tamen hic vir doctissimus verbi q.e. *incommoda*, de quo mox agetur, mentionem quantum video facit (cf. autem p. 163), ideoque est, quod putemus Hafnerium quoque (qui textum ipse neque edidit neque, ut apparet, edet) *incommoda* in archetypo codicum fuisse censere. Eundem fere textum atque Marx-Trillitzsch praebens Henricus Caplan (a. 1954, *The Loeb Classical Library*) ita interpretatur: "Again, it is a fault in making a comparison to bring out one term and either suppress mention of the other, or treat it rather cursorily; for example, if in deciding by a comparison whether it is better for the populace to receive, or not to receive, wheat, the speaker should on the one hand really take care to enumerate the benefits, but on the other should pass over the disadvantages and whatever he wishes to suppress, or should mention only those disadvantages which are least serious". Satis igitur appetit interpretem Americanum de duabus partibus alterius sententiae loqui easque comparare, i.e. quae in una eademque sententia commoda sint dicere quaeque incommoda. Auctor autem noster, cum *alteram rem...re altera* scribit, de duabus

sententiis loquitur neque dubitandum esse mihi videtur, quin, si "one term and...the other" unius eiusdemque sententiae dicere voluisse, non *res* sed aliud verbum e.g. *pars* adhibiturus fuerit. Cum in exemplo, quod auctor affert, duae sententiae comparentur, *populum frumentum accipere an non accipere*, sequitur, ut verba q.s. *in altera re...in altera ad eas ipsas spectent* neque ad duas partes alterius sententiae. Sed quid est, quod orator, postquam ostendit, quae sint vera commoda eius sententiae, cui ipse assentit, quae in altera incommoda sint et quae velit depressa praetereat? Quis orator tam stolidus est, ut *incommoda* eius sententiae, cui ipse non assentiat, praeterire velit? Est luce clarissimus oratorem, cum commoda suae ipsius sententiae ostenderit, incommoda sententiae adversariae non modo non praeterire, sed etiam monstrare. Tantum abest, ut orator de incommodis sententiae adversariae taceat, ut commoda eiusdem sententiae aut praetereat — aut praeterire cupiat. Quae cum ita sint, auctor noster admonet *commoda quoque* (ita enim legendum proposuerim) sententiae adversariae commemorari opportere, ne veritatis inimici in dicendo videamur; vitiros igitur esse commoda "et alia quae depressa velimus" sententiae adversariae tacere. Conferas enim, quaeso, quae paulo post scripta inveniuntur: *Non enim necesse est, si alteros praeponas, alteros vituperare; fieri enim potest, ut, cum alteros magis laudaris, aliquam alteris partem laudis adtribuas, ne cupide depugnasse contra veritatem puteris* (ibid.). Caplan recte: "Indeed it is not necessary, if you prefer one, to disparage the other; for you can manage, when you have given greater praise to one, to allot some portion of praise to the other, so that you may not be thought to have combated the truth under influence of partiality." Mea igitur sententia auctor noster *quae in altera commoda sint* scripsit; scriba archetypi eo inductus, quod duae sententiae opponuntur, falso putavit *commoda* et *incommoda* opponi debere.

Birgerus Bergh
Klassiska institutionen, Lund, Svecia